



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesu Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

XXIII. Ignatius in Palæstinam contendit s singularis Dei in eum tutela  
Barcinone, Patauij, Venetiis, & mari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

magno concursu venerabundos trahit, iamque vsus ferme in legem abiit, vt qui Monferratū ad Virginem adit, in salutata Ignatij specu, tribus dista leucis non redeat: quod spatium à multis præ reuerentia nudis pedibus obitur, nec deest sua pietati merces; soli enim ramenta peregrini; & de rupe assulas referunt, quibus efficacissimis, vtatur præsertim aduersus fascinoes, & veneficia. Anno quidem 1603. Margarita Austriaca, Regina, imminente partu, lapillum optauit ex Ignatij spelunca, vt fauentem de more parturientibus, sibi quoque propitium faceret. Verum antequam ornaretur, & communi pateret venerationi indicauit successu mirabili Deus, quanto eilet honore digna. Iuuenes octo impudici, cum eiusdem farinae scorto Manresa progressi, locum turpitudini suæ arbitris vacuum dum quærunt, cauernam subeunt, ignari fuisse Ignatij, vt ex vno illorum rescitum est: sed qui cubiculum vbi primos nouæ vitæ satus Ignatius hauserat, non est passus scadari probrosis flagitijs, speluncam frequenti Virginis specie, & sancta in corpus proprium crudelitate dedicatam, ab eiusmodi spurcicia immunem seruauit. dum enim facinus attentant iuuenes scelerati, cadauerum instar stupere membra, & emorifentiunt, horrore insuper nulla ex causa repente coorto, extra specum impuri, canes exturbantur.

XXIII.  
*Ignatius in  
 Palastrinam  
 contendit &  
 singularis  
 Dei in eum  
 tutela Barci-  
 none, Pasa-  
 uij, Venetijs,  
 & mari.*

Cæterum Barcinone subsistens Ignatius, dum per suspiciones pestilentia, liceret in Italiam transmittere, nullum sibi tempus otiosè abire passus est: cursate per Nosocomia, itare in carcerem, miseris illis omni consolatione, omni ope adesse, nec tamen de quotidianis septem precandi horis, quicquam minuere; mendicato quoque per urbem, pauperibus stipem corrogare, de se vero, & viatico, & nauulo tam esse sine cura, vt si thesaurum in Dei manibus haberet depositum, suis vbique sumptibus consulturi: & nitebatur planè dispensatore Deo, hoc ipso quod totas in eo spes suas locauerat, quæ mox quam essent in securo sita, sic illum docuit. Sedebat in turba puerorum, ex suppedaneo altaris concionem cum illis audiens: Isabella Rosella, matrona nobilis, coniectis fortè in illum oculis, videt eius vultum circumfuso splendore radiantem, simul audit interius, hominem aduocaret, vnaque intelligit, sub neglecto illo & vili panno, magnum Dei famulum latere: illa vt erat valdè prudens, tunc quidem nihil mouit; sed domum reuersa viro narrat, quicquid visu, & mente cognouerat. vtriusque mandato quæsitus domum Ignatius adducitur, & simulata in pauperem beneficentia, mensa excipitur vt sanctus. ibi ex condicto in sermones de Deo ab iis coniectus, pro solito suo, ita disseruit, vt multo clarius, ex luce inde sibi oborta, quam quæ emicuerat ex eius facie, verè perspicerent hominem esse diuinis opibus locupletem, grandi sibi bono ducturi si possent illum domi perpetuo tenere. Sed cum aduertissent in Palastrinam animum obfirmasse, iamque sibi locum in myoparone versus Italiam parasse, motu magis diuino, quam quod res magnopere suaderet, rogare institit matrona, ne tam periculoso nauigio committeret sese, cum posset nauis se tutius credere, quæ breui esset transmissura, se vero de necessarijs ad iter, suo sumptu visuram. mouit idem haud dubiè, ad piæ sceminae admittendas preces Ignatium, qui eam impulerat ad rogandum; dempto tamen nauulo, quod



quod sibi ab nauarcho donari propter Deum omnino voluit, nec ægrè subinde soluens Myoparo, vix erat in altum prouectas cum fera correptus tempestate in conspectu portus obrutus periit, omnibus & vectoribus, & nautis, excepto nemine pariter demersis. Nauim autem prius quam Ignatius confenderet diu secum ipso iurgatus est, nauarchus siquidem etiam condonato nauulo, volebat tamen illum de suo in nauim habere quod ederet; id licet exiguum, breue iter aggresso, & quotidie ieiunanti, sed hoc diffidentiae maioris sancto videbatur, quo erat vilius cuius causa cessaret suspensus in omnibus à Deo viuere. Optasset etiam in nauim mendicare, Deique impensis quæ solæ ipsi sapiebant, in mari agere, nam quod sibi ex amore in Deum porrigebatur frustum panis putabat porrigi ab ipsomet Deo, quare ut acquiesceret nauarcho, necesse fuit ab confessorio cuius nutum vbique pro lege sequebatur, securum fieri, nihil sibi eo viatico de sua in Deum fiducia decessurum. Id saltem euicit, ut repudiata Rosellæ largitate, ostiatim illud corrogaret, in quod etiam visa est peculiari cura, prouidentia diuina ludere: mendicanti enim occurrit quætere ex nobili scæmina, cui Zepillæ nomen. Huic erat filius qui relicta matre, ac paterno lare vagus, propudiosa obcaluerat mendicationi. Hæc Ignatium contuita, & ex ore, statuque honesto, non frustra coniciens nobilius aliquid re ipsa tegere, quam quod stipem rogando præferbat, acerbo dolore abripi, & recurrente filij specie, quem videre in Ignatio videbatur; pessimis modis illum excipere, exprobrare illi scelerosam ignauiam, erronem profugum, nihili, & eiusmodi honorum titulis decorare, quam indignantis elemosynam, quauis alia cariùs, gratulatus sibi Ignatius, tamdiu sustinuit, quamdiu illi furere libuit. Tum actis placidissime gratis, subdidit; bellè quæ diceret, in se omnia quadrare; nec ignauiozem, nec peiorem se quemquam vsquam nosse, quæ verba & animi sensu eo sui pudore dicere visus est, ut si ex imo pectore rumperentur. Hoc tam insperato demissoque responso confusa mulier, dictique pœnitens, intellexit non esse Ignatium qualem mente præcipiti finxerat, mutatoque in reuerentiam contemptu, misit qui panes ad eum deferret, excusaretque inconsulti doloris, & iudicij culpam, quæ sibi verba tam cruda expressisset. Narrabat autem hoc vulgò mulier, præcipuo affectu pietatis colebatque postea reducem ex Palæstina Ignatium adeo propensè ut sanctus eius consiliis plurimum vteretur, ita comineatu, Deo ipso curante instructus est; pecunia tamen quam piorum coactu admiserat, ne ab nautis quidem emereri voluit, quò humaniùs tractaretur, sed eam in littore abiicit, illius futuram cui primum Deus illam obiteret fuit nauigatio ventorum præcipitata magis quam prospera; quinto die Caietam appulit, illic vicini diuersorij stabulo cum successisset Ignatius nocte intempesta, vocibus excitus ciulantis, opemque supremam implorantis, quò tumultus monebat accurrit. Facinorosos milites deprehendit vim honestæ scæminæ moliri. Ergo Deo ardens, & periculo miseræ, oculis, oréque inflammatis biurgare, irásque de cælo minaciter intentare, quæ licet ex homine Italice ignaro, parum caperentur; tantum valuerunt, ut scelestissimos homi-



nes à flagitio deterrent, duplici quodam miraculo, tum quod effræni in scelus amentia repente abstiterint, tum quod externi, & pannosi minacibus monitis tantum detulerint, nullo ausu iratæ libidinis, in mendicum adedò liberè incessentem. Inde Romam deuectus die facto palmarum anno 1525. peruenit, acceptaque ab Adriano VI. Pontificiâ adprecatione, traiectusque in terram sanctam, facili copia, octauo post diem Christi resurgenti, pedes, uti semper, & mendicans, Venetias tetendit. Perpulerat illum importunâ suorum quorundam beneuolentiâ, ut nummos septem acciperet vel in futuram nauigationem, vel in discrimina quæ possent euntem Venetias morari; acceptos tamen (ne temerarius, aut nimium pertinax recufaret) grauer doluit, erratique à Deo veniam petiit, præstitisse nimirum credi rusticanum, & stultum ab rudibus arcane Christi paupertatis, à Deo omnia capientis, dum Dei causâ omnia reiecit; quam humanis cedentem urbanitatibus, videri de eo minus sentire confidentes. Vnde nummos septem mox ut vrbe exiuit, ne obolo quidem sibi residuo, in mendicos diuisit. Suspecta tunc erant pestilitatis per Italiam omnia, & scrupulosissimo examine sanitatis, externi probabantur, priusquam in vrbes aditum impetrarent; quod ut ærumnarum, ita & consolationis lata Ignatio seges fuit. Valentibus enim, & bene habitis de sua sanitate, cum perdifficile crederetur, ipse pallidus, & exesus, & itineris permolesti duris incommodis, sui que diuexatione attritus, velut peste iam tactus, non excluderetur modò, vrbum aditu, sed ne propius quidem manum ad stipem tendere sinebatur. Quare illi sub Dio fuit sæpius pernoctandum, & miserum corpus, molestias inter grauissimas trahendum; verum defixo in eum animo, cuius id fiebat gratiâ, quàm ei placere ardebat, vehementer, eiusque amore crescere, tam iucundè omnia tolerabat, & pensabat hos labores Christus ingenti scœnore sanctarum voluptatum, suo etiam illum conspectu refouens, & suam illi patientiam gratulans. Contigit hoc haud procul Patauio, cum plane defectus viribus, & ab comitibus viam monstrantibus relictus, humi se abiecit; nullo ad refocillandum corpus subsidio, nullo itineris repetendi duce, in illa omnium solitudine atque inopiâ colligit sese ad precandum, quo viri sancti secreto Antidoto, omnes elidunt molestias, dum supra se animum attollunt ab infimis ne corpus illas deorsum sentiat. Hic autem hilari, & placida facie, adest oranti Christus, verbis solatur quæ vel afflictissimum hominum repente lætissimum facerent, pollicetur faciles Patauium, & Venetias ingressus, à quibus esset alioqui omnino arcendus, & verò non aliâ quam diuina ope id affectus est, velut enim custodum ab oculis nube aliqua submotus, tam liberos aditus nactus est, ut ex eo Patauij ad portas, & Venetiis ad Lacunas (quæ seuerissimis obseruabantur excubiis) saltem vnde veniret, quaferit nemo, comitibus interim à quibus desertus fuerat, ingenti suo tum labori, tum ob subdititiam valetudinis fidem, periculo vix tandem admissis. Nec stetit Dei benignitas erga Ignatium in dando illi Venetias ingressu, sed eidem illic non incommodè alendo, imponendòque in nauim gratuitam



gratuitam consuluit, quòd peregrinos excipere solita in terram sanctam deuchendos paulo ante soluisset. Venetias sub noctem deuenerat, & externus, linguæ, xenodochij, ac locorum ignarus, in S. Marci Forum receperat sese, noctem illam sub procuratorum porticu acturus, sed enim Deo curæ fuit maior, quàm ipsemet sibi. Erat tunc inter Senatores Illustrissimus Marcus Antonius Treuisanus, vir sapientissimus, & quod pluris est, vere sanctus. Sic enim publici commoda, & curas, cum priuata sui gubernatione, & rationibus animi coniunxit, vt religiosum non minus ageret, quàm egregium Senatorem sibi quidem tam implacabilis, vt præter stata quibus corpus vexabat aspera, nunquam cilicium poneret; in egen-tes vero adeò profusus vt domus ipsius hospitium pauperum videretur, quam in rem sua tam liberaliter expendebat, vt nisi ex Fratre filij, Illustrissimi Marcelli, alendum apud se suscepissent, iturus in mendicitatem vltimam libens esset, qua vero fide administraret commissa munera, satis hoc vno restatum redditur, quod eum Cyprij dum Prouinciam illam procuraret, non alio quàm sancti nomine appellabant. Illum denique sua virtus cum ad supremam Ducis honorem extulisset, haud paulo maiori gloria, hunc ab se excutere contendit, quàm fuerat illum promeritus, & excusisset planè nisi Laurentius Massa, & Antonius Milledonnius, qui reipublicæ ab Secretis erant, hominem perpulissent vt priuato suo, bonum publicum anteferet: ambiebat enim erogatis in pauperes quæ sibi supererant, receptui canere, & in cœnobio aliquo sibi ac Deo quod vitæ restabat exigere. Hac vitæ totius perpetua ad mortem optimam comparatione, in extremam perducta senectutem, die quadam dum sacro interest animam efflavit. Huic igitur viro tanti apud Deum, & homines meriti, allapsa vox, nocte somnum abruptit. Sic beneuolè increpitans: te vero commodè pluma, & stragulis sepultum dormire, seruum autem meum, & amicum sine tecto humi, & in publico iacere: qua voce etsi erubuit vir pius, magnopere tamen gauisus est cohonestari se peculiari monito, excipiendi Dei seruum, ac probe intelligens, quantum esse illum oporteret, cui de hospicio Deus ipse dignaretur esse sollicitus, festinauit ad eum requirendum & nuda sub porticu repertum, velut Dei famulum insignem reuerenter æque ac perhumaniter, domum duxit, recreauit languentem, cibo, & quiete refecit. Ad hanc optimi Senatoris beneficentiam, addidit Deus pia officia Cantabri Mercatoris, cui non erat ignotus Ignatius. Eo siquidem prolixè admodum, & vestes, & quidlibet aliud ad subleuandam inopiam deferente id vnum admisit, & petiit, vt sibi accessum ad serenissimum Venetiarum Ducem Andream Grattium pararet, à quo locum sperabat in nauis prætoris, reipublicæ præfectum Vicarium in Cyprum insulam peruectura. Perductus est ab amico ad Ducem, à quo cum statim impetrasset quod expetierat, parum abfuit quin statim perderet, nisi hoc illi diuina bonitas miraculo seruasset. Nauim cum Ignatio eandem vectores conscenderant, qui turpi verborum, morumque licentiæ, fallenda tædia prætexebant otiosæ nauigationis. Peiora audebant, & nautæ; Deum tunc scilicet



vereri soliti cum tempestate admonentur; post vitata eundem lufuri pericula quem paulò ante naufragi inclamarint. Non tulit Ignatius maiestatem supremam tam petulanter lædi, & dum apud scelestos, & proiectæ conscientiaë lurcones, ciuilia monita nihil agunt; vrgere institit minaci terrore diuini iudicij, quod vix quatuor à morte digitis seiuncti, tam flagitiosè prouocarent. Sed bonæ sementis hæc messis exitit, vt de Ignatio condicerent in desertam insulam deportando, destituendoque in ea quibusuis incursum casibus. Hoc subodorati ex sociis nonnulli, quibus mens melior, eiusque miseratione grauitè affecti, rogant sibi esse exitio ne pergat, dum frustra prodesse aliis nititur; sed frustra, nec vllius metu periculi quo minus pergeret euincunt; vt qui nosset Deo ventos, & maria; non artibus nautarum obsequi. Quod illi tunc clarè patuit, cum ad insulæ conspectum terram legentibus, iamque pænè litus mordentibus, restans ex improuiso incurrit ventus, totiesque illos procul ab insula reiecit, quoties terram prehendere tentarent, quoad denique iter in Cyprum repetere coegit. Serui tamen sui religiosa studia vt hominibus improbis inuisa, sic fuisse sibi gratissima, subsecuta ostendit merces, Christi videlicet adspectabili forma, sui præsentiam non semel exhibentis, consolantisque dolorem, ac lachrymas quibus cæcitate hominum perditorum, & illatas Deo iniurias, in nauis angulo deplorabat. In Cyprum appulsus nauim in anchoris iam iam vela facturam commodum inuenit, quæ in Palestinam peregrinos portabat, & hunc omnium instar operiri vnum dumtaxat putasset; ita Iulij quarto & decimo cum Venetiis soluisset, pridie Calendas Septembris anno sesquimillesimo vigesimo tertio Saphum Syriæ attingit diebus octo supra nonaginta in mari consumptis, & quarto demum post die Ierusalem peruenit.

XXIV.  
*Singularia  
quadam  
Ignatij in  
Palestina.*

Quantis pietatis effulsa gaudiis delibutus beatas oras salutarit, quam dulcibus osculis libarit terram Christi vestigiis, & sanguine sacram, conuicere pronum est ex desiderio illius videndæ, quod cum primis tradendi se Deo ignibus conceptum, crescente immensum per varfam Christi familiaritatem amore creuerat; ex inuictò præterea robore, quo quicquid timendum, tolerandumque obliteret, peruicit. Nam & Venetiis consensurum auerrebant fortiter amici; ob pericula tunc solitis maiora, turcis capta Rhodo, latè illo mari grassantibus, multisque peregrinantium, ne in illorum manus inciderent, retro in patriam vota vertentibus. At is Dei, & cæli aspectu, terrenos metus doctus eludere, responso mirabili vrgentes stupefecit, tam certa se vocantis fiducia niti, vt si nauis deesset, crederet se nuda in tabula posse illuc saluum appellere; neque verò amicis, in auertendo consilio, feliciores fuere medici. Egrotus pharmacum hauserat, cum auris repente afflantibus panduntur vela, datur vectoribus classicum, accurrit ex templo Ignatius, sui & morbi & medici negligens, contestantis vitæ manifestum discrimen, certoque affirmantis debilitatem virium, fore omnino & maritimæ nausæ, & conuellentis pharmaco imparrem, quod tamen planè contrarium euenit, alteroque alterum mutuo

iuuante